



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 10. Superbiæ variæ pœnæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

§. X.

Superbia pœna varia.

Humilia valde spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impii, ignis, & vermis. Eccl. 7. 19. Innocentius III. de contemptu Mundi, citans v. 19. Uterque duplex; interior, & exterior. Interior, qui rodit, & urit, cor: exterior, qui rodit, & urit, corpus. Appositè autem in remedium superbiæ, mentionem facit ignis, & vermis; qui eos in Inferno depascet. Ignis fumum consequitur: fumus superbiæ tollitur, ignis succedit.

Qui dicunt, recede à me; non appropinques mihi, quia immundus es. II. 65. 5. En superbia, quâ alios despiciunt. Hebr. *quia sanctior sum te.* Quid sequitur? *isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die.* Octavianus in Eccl. hic.

Herodem superbientem percussit Angelus Domini; eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermis expiravit. Act. 12. 23.

Nota: quòd sicut tria sunt peccata generalia, quæ regunt in Mundo; ita sunt tres punitiones: scilicet guerra contra superbiã; sterilitas, & tames, contra avaritiã; pestilentia contra luxuriã, S. Bernardinus. de Amore f. 14.

§. XI.

Superbia cœli incapax.

Nolite pueri effici sensibus; sed malitiã parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. I. Cor. 14. 20. Quâ malitiã maximè? nisi superbiæ. Ipsa enim, de vana granditate præsumens, non sinit hominem ambulare per arctam viam, & intrare per angustam portam. Pueri autem facillè intrant per angustam portam: & ideò nemo, nisi ut puer, intrat in regnum cœlorum. S. August. in Ps. 112.

Quia Sathanas per superbiã cœlum perdidit, quod tenebat; homo superbiens nequam valet invenire, quod sperat. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 9.

§. XII.

Superbia exosa Deo, & hominibus.

DEUS superbis resistit. Jacobi 4. 6. Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiã speciale certamen. S. Ambros. in Ps. 188. 6. 7. Superbi iniquè agebant &c.

Altus est Deus; erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit. S. August. f. 2. in Ascens. D.

De nulla re sic irascitur Deus, quomodo si peccator superbiat; & erectus, ac rigidus, non flectatur in fletum; nec misericordiam postulet pro delicto, S. Hieron. in ep. ad Eph.

Deo, sicut humilitas, vel spiritus contribulatus, sacrificium est in odorem suavitatis; sic è contrà superbia fœtor horribilis est. Rupertus l. 4. c. 41. in Gen.

Ille, qui in altis habitat, & humilia respicit superbiã super omnia detestatur. Petrus Blefens. ep. 3.

De superbis quidam facetè dixit: gustui displicere eas dapes, quæ fumum sapereant. D. Stephanus Guazzi de civili conversat.

Vide Humilitas.

§. XIII.

Superbia Inferno mancipata.

Quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5. 4. Festivè quidam vir Sanctus dixit, ait Salmeron: humilibus datur cœlum, mitibus terra. Quid superest superbis, nisi infernalis miseria? Cornelius hic.

Plenitudo nihil recipit, nisi quod nihil est: ideò superbia, quæ sui reputatione est aliquid, cœlo non potuit capi; quia illud jam impleverat gloria Domini. Sed nec in terra locum invenit, quia & illam impleverat gloria Domini. Jer. 23. 24. *cœlum, & terram, ego impleo.* Et II. 6. 3. *plena est omnis terra gloria ejus.* Non ergo restat Superbiæ locus, nisi Infernus. II. 14. 11. dicitur de superbo Lucifero: *detracta est ad inferos superbia tua.* Hugo Card. in Matth. 5.

Superbia, via est Inferni. S. Vincent. Ferr. f. 14. de morte quadruplici.

§. XIV.

Superbia frænium, & remedium, humilitas Christi.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13. 31. Scipsum pulcherimè exponeus grano sinapis assimilavit. Sinapi autem & bitem diminuit, hoc est, iram; & phlegma exscindit, hoc est, fastum, ac superbiã. Clemens Alex. l. 1. paedag. c. 11.

Sedens super asinam. Matth. 21. 5. Ascendit, in contemptum superbiæ sæculi maximè gloriantibus in curribus, & equis. S. Rupertus l. 6. in c. 14. Of.

Erubescat homo esse superbus; quoniam factus est humilis Deus. S. August. f. 41. de Verb. Dom.

Princeps tuus humilis, & tu superbus? caput humilè, & membrum superbum? Abstine! non vult esse de corpore Capitis humilis, qui amat superbiã. S. August. f. 53. de Verb. Dom.

Sicut ille, qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria; sicut frigidum calido, vel humidum sicco. Sic, quia per superbiã homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientiã decepti sumus, Dei stultiã liberamur. S. August. de doctr. Chr. l. 1. c. 14.

Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? S. August. l. de agone Christiano c. 11.

Erubescat superbe cinis. Deus se humiliat; & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Authori? - quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. S. Bernardus hom. 1. Sup. Missus.

Intolerabilis impudentiã est, ut, ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus inflatur, & intumescat. S. Bernardus f. 1, in Nat. Dom.

Quia